

jura, quæ in Insubribus ad se spectare contuleret, deseruisse; immo ut coram Cæsare tueri illa constanter videretur: neque vero Pontificem, in quo amplificandæ familiae studium in dies haud obscuris argumentis augeretur, ætate adeo proiectum, Roma Niceam usque iter habiturum, nisi ingenti spe optati cujusdam præmii alliceretur. At ne Senatus communis pacis bono, quo in primis foedus Christianorum Principum nitebatur, obstatissimum existimaretur, legationem decreverat, licet Cæsareanam classem ad eum conventum, ne se Venetæ coniungeret, detinendam fore animadverteret.

Antequam Roma Pontifex discederet, Marcum Grimanum, Patriarcham Aquileensem, legatum ad classem cum imperio misit; quadringentis ac sexaginta illi in singulos menses aureis tributis; centum millibus ad pontificias triremes instruendas Venetiis repositis; trium millium ex sacerdotiorum provenientibus in eos dispertiendi, qui in Turcica expeditione laborassent, facultate permissa. Duos quoque cardinalatus honore decoravit; alterum Brundusinum Archiepiscopum ex Aleandra familia, nuntii munere apud Rempublicam perfunctum, Metæ, Veneto oppidulo, ortum, ex imæ fortis conditione propria virtute ad illam dignitatem electum; alterum vero ex sorore nepotem ex Sermonetta familia, annos sexdecim natum. Pridie idus maji Parmam ingressus, a duodecim Cardinalibus obviam euntibus, dominica die palmarum exceptus est; quibus de more in majori basilica consecratis, rosæ sacræ munere, quod Pontifices tradere consuevere, ecclesiam, in qua episcopatum, & legationem obierat, donavit. Placentiæ aliquamdiu substituit, quod Sabaudus illum in Niceæ arcem recipere nolle. Tandem cum Cæsar abuentem Principem flexisset, Niceam perrexit; illi Sabaudus, arcis clavibus delatis, obvius fuit; sed ab ingressu quingenti præfidiarii milites prohibuere, frustra Duce imperante, quod tenere se illam Principis filii nomine velle dicerent; ut Pontifex intra coenobium se recipere cogeretur. In itinere, prius quam Niceam perveniret, Theupolus, & Cornelius legati Pontificem convenere, ac Senatus de pace inter Principes, & de classe conjungenda mandata exposuere. Pontifex, illorum animis ad spem erectis, nulla in re Reipublicæ defuturum pollicitus est.

*Marcus
Grimanus
Patriarcha
ad classem
& Pontifice
missus.*